

ren hauptsächlich gethan, da er brav verfolgt und geängstiget wurde, sobald es aber dahin kam, daß ihm viele grosse Potentaten zugefallen, sobald zog er andere Saiten auf.

§. III. Haec omnia, si rite examinentur, πρώτον ψεύδος, pessimam istam opinionem agnoscunt, pro vera & salutari doctrina non esse pugnandum, tolerandos potius esse non recte sentientes, quod cum Luthero in felici Reformationis successu ex Scriptura S. longe aliter fuerit certo persuasum, hinc irae, hinc cavillationes et maledicentissima eorum scommata in Lutherum coniecta exsurgunt. Dicunt enim (I.) Lutherum, ut nominant, posteriorem, haeretificandi studio fuisse totum immersum, & quicquid ejus ingenio non placuerit, pro haeretica sententia statim declarasse. Verum enimvero, istud studium haereticos faciendi, id est, ex verbo Dei dijudicandi & confutandi, non postremis demum annis suscepit Lutherus, sed quamprimum incepit Scripturam legere, coepit etiam detestari Scholasticorum nugas, easque eodem tempore aggressus est, ubi contra Papales indulgentias disputavit. Et praeterea, si iste, qui sententiam, divinae revelationi contrariam, rejicit ac damnat, haeretificis nomine veniat, quid de Petro, Paulo, Joanne, aliisque Apostolis, Pseudapostolis fortiter sese opponentibus judicabitur? Ipse Christus, qui cum Phariseis, Sadducaeis, aliisque, disputavit, haeretificis titulo salutabitur? Non leve peccatum est, omne defendendae veritatis divinae studium hominum contemptui ac cachinnationibus ejusmodi maledicendi genere exponere, quod cum a Fanaticis toto die fiat, justissimas aliquando suae impietatis dabunt poenas.

§. IV. (II.) Insimulant Lutherum intolerabilis superbiae, aliorumque affectuum vehementiae. Sed facile est dixisse, probare autem difficile. Aliter de Luthero judicant, qui intimiori familiaritatis vinculo cum eo conversati sunt. Ipse MOSELLANVS, qui in aliis Lutherum haud
parum